

Band XI., Nr. N5665, Seite 523-524

Propst Heinrich und Kapitel von St. Johann zu Konstanz erwählen den Bischof Eberhard von Konstanz zum Vogt über ihre Güter in Lippertsreute, Lellwangen, Illhard, Langenhart und (Langen-)Argen.

Konstanz, 1268. Juni 24.

Universis presentes litteras inspecturis H. prepositus totumque capitulum ecclesie sancti Johannis Constantiensis salutem et credere subnotatis. Vita brevis hominumque memoria labilis ac malitia temporis ammonent ea que geruntur scripturarum testimonio perennari. Notum igitur esse volumus universis, quod nos reverendum in Christo patrem ac dominum nostrum Eberhardum dei gratia Constantiensem episcopum, ex cuius vita transacta laudabili didicimus, quid de futuris presumere debeamus, cum idem vere iuxta sanctiones gloriosissimorum principum voluntarios labores appetat, ut subiectis quietem valeat preparare, ex premissis persone ipsius industriam colligentes^a in nostrum defensorem et possessionum seu bonorum omnium ecclesie nostre a discreto viro magistro Ül. de Uberlingen comparatorum in Liuprehsriuti et in Lalewanc ex altera parte lacus, in Illenhart et Langenhart cum suis pertinentiis sitorum in Tiurgov ac etiam in bonis Argun a nobis comparatis eligimus presentibus advocatum, ut prosit et presit et ab aliorum incursibus nos et nostra sicut decet paterna sollicitudine tueatur, speciales sibi de dictis possessionibus seu bonis redditus deputantes, videlicet ut de bonis in Liuprehsriuti et Lalewanc duo modii avene illius measure et sex pulli ac de possessionibus in Illenhart et Langenhart predictis duo modii avene illius measure et IIII pulli, verum etiam de Argun decem modii avene measure ibidem et decem pulli de nostra camera annis singulis a nostro villico seu cellerario persolvantur, nec ipse aut aliquis advocatus seu procurator ab eo constitutus nos aut homines nostros attemptet ultra id quod dictum est aliquatenus molestare. Attamen si aliqua insolentia violenta apud hec loca et specialiter apud Argun committatur, advocatus ab eo constitutus villico seu procuratore a cellerario et capitulo ad hoc deputato secum presidente hoc iudicent et, si muleta excedenti solvenda aliqua inponatur, due partes nobis et tertia pars illi detur. Villicationis autem officium et alia iudicia omnia apud nos remanere volumus pro nostre voluntatis arbitrio disponenda exceptis iudiciis, que penam sanguinis requirunt, in quibus advocatus generalis ab eo constitutus procedet sicut viderit expedire, ita tamen quod ius et consuetudo, que habet villicus prepositure Constantiensis apud Phine, hic etiam per omnia observetur. Cedente

^aText: *eligentes*.

II

vero domino nostro Eberhardo episcopo predicto vel etiam decedente eligere debemus et possumus libere advocatum vel advocatos in omnibus bonis predictis exceptis IV curiis in Illenhart et in Langenhart situs, ut volumus et sicut credimus expedire. Adiectum fuit insuper, ut si prefatus dominus noster . . . episcopus nos aut nostros homines in bonis mobilibus aut immobilibus seu alias iniuriose, ultra id quod statutum est, graviter dampnificaverit, molestaverit seu vexaverit per se vel per suos vel ab aliis nos et nostros permiserit molestari, ipso remisso circa deffensionem nostram et nostrorum existente, et monitus a nobis hoc infra tres menses non emendaverit vel non procuraverit, quantum in eius possibilitate fuerit emendari, ipso facto a iure advocationis huiusmodi eodem cadente libere et licite hac electione presenti non obstante possumus tunc sicut expedire credimus quem volumus alium vel alios eligere advocatos. In huius facte electionis et ordinationis nostre testimonium ac etiam a domino nostro Eberhardo episcopo sicut dictum est fideliter acceptate, et quod hec promisit finaliter observare et nos ac nostra pro possibilitate utriusque gladii deffendere cum diligentia et tueri, presentes litteras contra futuros quoslibet oblivionis casus et ne aliqua nobis aut posteris nostris super hoc questio valeat exoriri, sigillorum prefati domini nostri Eberhardi episcopi et nostrorum munimine procuravimus et fecimus roborari.

 Datum Constantie, in die beati Johannis Baptiste, anno domini MCCLXVIII., indictione XI., pontificatus nostri¹ anno vicesimo.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

 An aus blauen und weißen Leinen- und gelben Wollfäden geflochtenen Schnüren zwei beschädigte Siegel.

¹D.h. des Bischofs.

Überlieferung und Publikationen

Lagerort:

GLA Karlsruhe

Signatur/Titel des Originals:

5/10088

Regesten:

Regesten Bischöfe Konstanz, Nr. 2189.

Weitere Angaben

Beschreibstoff:

Pergament

Sprache:

Lateinisch

Ausstellungsort:

Konstanz

Ortsindex:

Illhart, Kt. Thurgau, Schweiz
 Konstanz Wohnplatz (14442)
 Konstanz, KN
 Langenargen Wohnplatz (18010)
 Langenargen, FN
 Langenhart, Müllheim, Kt. Thurgau, Schweiz
 Lellwangen Wohnplatz (18511)
 Lellwangen, Deggenhausertal, FN
 Lippertsreute Wohnplatz (18426)
 Lippertsreute, Überlingen, FN
 Pfyn, Kt. Thurgau, Schweiz
 Überlingen Wohnplatz (18447)
 Überlingen, FN